

spectant et spectare debebunt ad summum altare, nec in alium usum distrahi debent, sed utatur eis episcopus ad placitum suum, similiter et alii praelati advenientes pro honore castri et capellae. Anno domini M.CCCC.LI. die lunae quinta Aprilis reverendus in Christo pater et dominus dominus Johannes episcopus Misnensis in aestuario suo hyemali castri Stolpen hora vesperarum vel quasi praesens testamentum de manu venerabilis domini Johannis Swoffheim doctoris decretorum conscriptum cum singulis clausulis in eo contentis ratificavit in forma qua potuit meliori, coram me notario Nicolao Cleticz, praesentibus honorabilibus ac discretis viris domino Johanne Dewczendorff et Gregorio Hafirlandt.

Nach einer Abschrift aus dem nicht wieder aufgefundenen Liber Theodorici (de Schönberg, ep. Misn.) von Ursinus im Diplom. Misn. I. fol. 457 (K. Bibliothek in Dresden) verglichen mit hiervon unabhängigen Abschriften in Grundmann cod. dipl. ep. Misn. VII. fol. 1892 u. Suppl. I. n. 34 (K. Haupt-Staatsarchiv) und im Diplomatar. Lips. III. fol. 73 (Rathsarchiv zu Leipzig).

### No. 1005. 1451. 30. Apr.<sup>1)</sup>

*Das Domcapitel meldet dem P. Nicolaus V. die nach B. Johans Ableben einstimmig erfolgte Wahl des Decans Caspar von Schonenberg zum Bischof und bittet um Bestätigung des Erwählten.*

Sanctissimo in Christo patri ac domino, domino Nicolao digna dei providentia sacrosanctae Romanae ac universalis ecclesiae summo pontifici eiusdem sanctitatis vestrae humiles et devoti filii Theodericus de Schonenberg praepositus et capitulum ecclesiae Misnensis cum omni reverentia et subiectione ac humillima nostri recommendatione devotissima pedum oscula beatorum. Cum beatissime pater propter vacationem diutinam ecclesiae pastoris solatio destitutae saepissime in spiritualibus et temporalibus dispendia gravia patiantur, conditores canonum provida deliberatione censuerunt, ut quantocius eisdem ad praeveniendum pericula maiora tempore debito provideatur de rectore. Defuncto igitur hoc anno currenti millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo die duodecima mensis Aprilis bonae memoriae Johanne, quondam episcopo Misnensis ecclesiae et ipsius corpore cum reverentia ecclesiasticae tradito sepulturae, ne ecclesia ipsa praedicta viduitatis suae diutius deploraret incommoda, fuit a praesentibus videlicet decano et ceteris canonicis capituli nostri capitulariter ad hoc vocatis et congregatis dies certa videlicet tricesima seu ultima mensis Aprilis cum continuatione sequentium dierum ad electionem futuri pontificis celebrandam assignata. Citatis igitur absentibus et convenientibus eisdem apud eandem ecclesiam ad capitulum ecclesiae eiusdem in termino supradicto et in hora tertiarum ad hoc statuta, omnibus et singulis per litteras capituli iuxta morem, qui debuerunt voluerunt et potuerunt commode electioni interesse, tandem deliberatione habita per quam formam in electionis esset negotio procedendum, placuit nobis omnibus et singulis per formam scrutinii eidem ecclesiae providere. Unde tres de collegio seu capitulo nostro fide dignos, videlicet providos et circumspectos viros, dominos magistrum Jacobum de

1) Der an demselben Tage vor der Wahl eines neuen Bischofs vom Capitel festgestellte Entwurf neuer Statuten ist aus den Varianten zu No. 1007 ersichtlich.